

Π α
676





QR. 520, 76

B. m. II 454.

Q. D. B. V.

DISSERTATIO HISTORICA

DE

**NOBILITATE
WRATISLAVIEN-
SIUM ERUDITA**

Quam

Benevolo Amplissimi Ordinis
Philosophici Indultu

ad diem 11. Sept. 1697.

Publicæ Doctorum Disquisitioni
submittent

PRÆSES

M. ADAM PANTKE
Wratisl.

et Respondens

JOACHIMUS PHILIPPUS SCHINDLER
Glogov Silesii.

L I P S I Æ,

Typis VIDUÆ JUSTI REINHOLDI.



1280

1780

Q. D. B. V.
DISSERTATIO HISTORICA

DE
NOBILITATE
WRATISLAVIENSIS
SVM ERUDITA

Summa
Benevolo Amplissimi Ordinis
Philosophici Indulgent

ad hunc in sepe 1787
Publice Doctorum Dissertationi
summitent

PRESES

M. ADAM PANTKE
Wratizl

et Respondens
JOACHIMUS PHILIPPUS SCHINDLER
Glogov Silesii

L P 2 V 2 E

Typis VIDUÆ JUSTI REINHOLDI





Præfamen.



Non deerant quidem alia, de quibus Dissertationem Academicam conscripturi ageremus argumenta; Ne tamen ea præsentì præferrentur, obstitit, partim debitus Patriæ amor, partim iusta indignatio Conquerentium cum Balbino [α] De Majorum Negligentia, *qua factum scimus, quod tot Virorum*

Virtutes & Facinora eodem Tumulo quo Corpora condita fuerint. Subiit imprimis Animum non levis admiratio, qui factum, ut inter Res Silesiacas, alias à non adeo paucis descriptas, nullum fere exstet Silesiorum ob Literas feliciter excultas celebrium Monumentum, cum tamen Silesia fœcunda alioquin Eruditorum Mater semper & audierit Exteris & exstiterit; quippe quæ non contenta proprio, quem Filiorum industriæ & Eruditioni debet, splendore alias quoque semotas à se, imo & longe distitas Regiones transmissis illuc, quos genuerat, Eruditis, illustrare solita est. Remedium damno, quod ex perenni suorum Silentio oriri Silesia sentiebat, Orbi Literato [quantum scimus] unicus afferre voluit Nicolaus Henelius, Rerum patriarum, ut amantissimus, ita peritissimus scriptisque non adeo paucis de



Orbe Erudito optime meritis, Congestis Virorum complurium, qui aut vitale lumen, aut habitationis commodum Silesiæ acceptum retulerunt, Elogiis. Hujus vero Silesiæ Togatæ, [ita enim librumqve meditabatur inscribere ipsi placuit [b]] Rhonio [c] judice, *Cordati Silesiæ Literatores meritissimis Lacrymis parentant, quæ Tineis cedente in Victimam 600. Viri & Toga & Sago de patria bene merentes nominum aternitate, meritorum Famâ defraudantur.*

Nos non Literatos Silesiacos, [eorum enim Elogia inveniendō magis quam quærendo defatigaremur] sed Uratislavienses ab Oblivione Vindicare volumus primo; Sed statim deterrebamur Henelii [d] Verbis, *Quod si, inqvientis, Clarorum & omniscia Scientiam magnorum Virorum, quos Uratislavia vel ipsa peperit, vel alibi partos sinu suo aluit & fovit, Catalogum texere incipiam,*

Icaria numerum dicere coner aquæ.

Qua propter in præsentī Nobiles saltem Uratislavienses Literatos, non omnes, sed aliquos, quos quidem maturiore politoqve, multijuga Experientia Ingenio & Librorum ad scopum nostrum ducentium Copia destituti colligere potuimus, in medium producemus.

Ut autem Instituti Ratio eo melius constet, Nobiles sistendos promittimus non solo avito Sangvine, sed propria virtute, eaqve promeriti's Dignitatibus summis claros; Uratislavienses, aut Ortu, aut habitaculo, aut Officio, eodemqve Literatos, non scriptis omnes inclytos, plurimos
tamen,

tamen, omnes autem Scriptorum Judicio Eruditos. Ordine autem hoc procedemus, ut secundum suas Dignitates, quibus feliciter laudabiliterque præfuerunt, nobis citandi prodeant, eodem vero, aut pari officio functi secundum Temporis quo vixerunt seriem, exhibeantur. Nulli tamen in hoc Nobilium Uratislaviensium Eruditorum Elencho hodiernum viventes comparebunt, Eos enim aliis aptioribus celebrandos æternitatiqve commendandos relinquere maluimus, quam, si recensuerimus, adulationis, si reticuerimus quosdam, injustæ dissimulationis insimulari.

Si quid [quod facile eventurum prævidemus] quibusdam minus arrisurum occurrerit, nostræ his in rebus non adeo exercitatae Juventuti imputandum erit. Sufficit nobis hac vice exhiberi studiorum in alma Lipsiensi excultorum, nec minus debitæ erga Patriam & ejus quondam Lumina observantiæ, Testimonium, cui Conatui, ut Benedictionem largam viresque sufficientes addere velit Divina Clementia, est quod ardentissimis Votis ab ea expetimus.

(a) In Diva Wartensi C.1. §.1. p. 32. cit Rhonio Ep. Hist. 3. præf. (b) Hankius Orat. 8. p. 157. Rhonius Epist. Hist. 1. fere extr. (γ) Epist. Hist. 3. præf. (d) Breslogr. c. ult. p. 73.

SUMMARIUM.

Sistet Dissertationis

§. 1. *Transitum specialiozem ad argumenti Deductionem*

A 3

§. 2.



1590

§. 2. *Causam cur non adeo multos Vratislavia habuerit Principes Eruditos.*

§. 3. *Aliquos Principes Eruditionis fama inclytos.*

§. 4. *Studiorum in Silesiam introductorum Historiam, Triste Eruditionis fatum apud antiquiores Urat: Epp. eiqve oppositum Remedium.*

§. 5. *Episcopos Sec. 15. eruditos.*

§. 6. *Sec. 16.*

§. 7. *Secul. 17.*

§. 8. *Alios Episcopos qui sedem fixerunt Vratislavia.*

§. 9. *Aliis Dignitatibus Ecclesiasticis insignes Nobiles Urat.*

§. 10. *Barones.*

§. 11. *Mutationis Capitaneatus Urat. in Præsidium nomenclationem.*

§. 12. *Capitaneos.*

§. 13. *Præsides.*

§. 14. *Senatores.*

§. 15. *Consiliarios.*

§. 16. *Consiliarios qui simul Syndicorum Munere functi sunt.*

§. 17. *Militaribus Dignitatibus conspicuos.*

§. 18. *Syndicos.*

§. 19. *Medicos.*

§. 20. *Patricios.*

§. 21. *Philosophos.*

§. 22. *Dissertationis perorationem.*

§. I.

Ad Vratislaviensem imprimis Nobilitatem nobis referendum

1591.

rendum videtur Effatum illud quo Silesiorum universam e-
vehit Gruterus, [α] Ernesto Friderico & Gvilielmo Rhedin-
geris ita scribens: *Rara res est, sed vera tamen, ita Nobilitas
Silesiaca morata est, ut ultro pra se ferat caeteris quidem Or-
dinibus ornamento Emolumentoque esse litteras, suo praeterea
necessarias.* Probatum iremus prolixius illud, nisi prostaret
ingens Exemplorum Messis, è qua saltem hac vice parvum ex-
hibere manipulum nobiscum decrevimus.

(α) Cit. Hen. Siles. p. 74.

§. 2.

Literatis Compluribus gaudere Principibus propter
eorum, quibus, antequam Dominium Regum Bohemorum
subiret, subjecta fuit, Ducum paucitatem non licuit. Et
ne hos quidem studia feliciter excolere sivit ea Temporum
Injuria, quæ summis Barbariei Tenebris, ut Occidentales
Provincias omnes, ita quoque Poloniam, eiqve adjacentem
Silesiam involutas tenebat. Ipsum quippe Latium pristini
Splendoris immemor dura Barbariei Violentia premebatur,
donec ejectæ capta Constantinopoli Græciâ [quæ sola fere ad-
huc pristinae Sapientiae Laudis Rudera retinuerat] Musæ Ro-
mam redirent inde trans Alpes quoque progressuræ.

§. 3.

Non dubitat tamen Curæus [b] primum inter Henricos
Uratislaviae Duces propter HedWigis Conjugis suæ miram
sanctitatem [c] notissimum Principis Sapientis Titulo insi-
gnire,

1592
 gnire, quo cum alii Rerum Silesiacarum Scriptores mira
 consensu affirmant datum eum Divinitus Principem ut fugata
 per eum Barbarie Pietas Moresque politiores introduceren-
 tur. [d] Uladislauum Filium Henrici Pii [Libertatis Silesiacæ
 contra Tartaricos Furores strenui quidem, sed infelicis ad-
 modum Assertoris [e]] in Patavino Gymnasio studiis operam
 non infeliciter navasse ex Henelio scimus, quem dein Salisbur-
 gensem Archi Episcopum evasisse, loco Henrici IV. impube-
 ris Ducatus Uratislaviensi præfuisse, & ob Vitæ animique Con-
 tinentiam, & Integritatem ergaque Pauperes Liberalitatem
 imprimis à plurimis laudari, Historici studii Cultoribus non
 ignotum esse putamus. [f] Henricum quoque V. inter medios
 eos squalores, quibus obruta jacebat nitidior reditura Erudi-
 tio, suos amores Rythmis pro illorum Temporum Genio sat
 concinnis cecinisse constat. [g] Insuper his Boleslaum Cal-
 vum Henrici Pii Filium, nisi aliud svaderet contraria Nasonis
 [h] Judicio Curæ [i] Sententia, quam ut Cordati Scriptoris
 illius effato [excusandi forsitan] præferendam putavimus.

(b) v. Surii de probatis Sanctorum Historiis m. Oct. ed. Col. 1618. p. 231.
 ff. Die grosse Legenda der heiligsten Frauen s. Hedvigis Herzo-
 gin in Polen und Schlesien. Henel. Bresl. c. 5. p. 35. s. Curæ
 Schlesische Chronik ed. Franc. 1585. f. P. 1. p. 85. ff. & c. (c) P. 1.
 p. 76. (d) Curæus P. 1. p. 77. Schikf. l. 1. Poblus Hemerologi p. 106.
 (e) v. Tilenus in Poematibus suis à Joh. Mehlio Lips. 1597. e-
 ditis. Curæus P. 1. p. 78. ff. (f) Bresl. c. 5. p. 36. s. Poblus Hcm.
 p. 451. 152. (h) Opitius & Hoffmanns. in præf. Poem. Abschatz Carm.
 gratul. præf. Arminio Lohensteinii & alii (i) Phœnicis redivivi Du-
 catuum Svidn. & Favor. p. 13. (k) P. 1. Chron. p. 92. P. 2. p. 19.

§. 4. Miscit

1221 1595

§. 4.

Misit interim Roma varios Episcopos pro eorum Temporum Indole fatis Eruditos, quorum Secundus Urbanus I. Silesiam Bonarum Artium studiis imbuere cepit. [l] Post aliquod tamen Tempus [præter lapsum cum Episcopis reliqui quoque Clerici Luxui magis quam Studiis favebant, cuius infortunii vix alia esse videbatur Occasio, quam quod Bonis, quibus Casimirus I. Polonorum Rex Hieronymum I. donaverat, frui, quam uti mallent. [m] Huic denique Uratislaviensium Episcoporum [quorum primus citatus Hieronymus exstitit [n]] Ignorantiæ obicem ponere quærebat Concilium Basileense, Cunrado I. [qui è Principum Olsnensium stemmate oriundus ab A. 1417. usque ad A. 1447. Ecclesiæ Uratislaviensi præsedit] Decretum transmittendo, quo cavebatur, ne in aliquem Ecclesiastica conferretur Dignitas, nisi eam, in qua honores ambiret Ecclesiasticos, Regionem ut Patriam veneretur, aut Gradu Academico in ipsum collato commendaretur. [o] Invenimus tamen eo quoque tempore, quo plus gulæ quam bonis Artibus studebant Clerici, Wenceslaum I. Ducem Lignicensem Episcopum Uratislaviensem adeo favisse Historiæ Patriæ studio, ut Orango Clerico Author svasorque existeret Rerum Silesiacarum nec non Familiarum Ducalium notitiæ scriptis ab Oblivione vindicandarum. [p]

(l.) *Curæus P. 2. p. 145. Schikf. l. 2. p. 16. Conradus Prof. Mel. Episcoporum Urat. cit. Rhonio Ep. 2. Hist. f. extr. (m) Curæus P. 2. p. 147. (n) id. ib. (o) id P. 2. p. 196. (p.) Rhonius Ep. Hist. 1.*

§. 5.

Viguit aliquandiu de quo præcedente §. verba fecimus
 B Decretum

2421 1594

Decretum ; Nam Conrado superius memorato successit Petrus II. Cognomento Noak non celebri stirpe nec avorum aut Parentum meritis sed sola eruditione , qva Titulum & Privilegia Doctoris Juris Canonici meruerat, commendabilis. [q] Excipiebat eum Jodocus I. L. B. à Rosenberg Ordinis S. Johannis Hierosolymitani Supremus Magister, cujus raram eruditionem & haud vulgarem Eloquentiam Historiæ Silesiæ Scriptores laudare solent. (r.) Nec aliud quid Rudolphum I. ad Episcopale Fastigium evexit, quam ingens, qva cæteros anteibat, Scientia. (s) Ejus successor Johannes IV. Rothus, Vir Optimus, Doctissimus, Prudens, gravis (ut verba Epitaphii in ejus honorem erecti volunt (t)) ob exulta laudabiliter in Italia studia, scripta eruditissima, Commmerciumque quod cum Doctissimis sui ævi Viris alebat Literarium à Pio P. R. crebriores accepit literas. (u)

(q) *Curæus p. 157. Schikf. l. 3. c. 24.* (r) *Cur. p. 157. f. Schikf. l. 3. c. 24. Poblus Hem. p. 48.* (s) *Cur. p. 158. Schikf. p. 25.* (t) *Grunæus in Monum Siles. periculis, p. 10.* (u) *Cur. p. 159. f.*

§. 6.

In ejus locum electus Johannes Thurzo Studioforum omnium præsentissimi Mecænatis Virique haud mediocriter Eruditi Elogium meruit & Literario Commercio quod cum Erasmo aliisque Viris ejus temporis celebrioribus exercuit notissimus exstitit. (W) Eum excepit Johannes à Salza SS. Theol. Doctor cujus Sapientiam & Fidelitatem mirati sunt omnes qui electioni Imperatoris Caroli V. interfuerunt quemque Virum in Reformationis opere Divinitus Concessum omnes

p. 21/1595

mnes pii statuunt. (x) Hoc mortuo Ecclesiam Uratislavien-
sem rexit Balthasar à Promnitz Vir prudens qui prudenter Lu-
theranos tolerare maluit quam irrito Conatu fortunatis eo-
rum Successibus resistere. (y) Subsecutus est eum Caspar
à Logau Vates bonos Arte omnimoda excellens & Pietate
(z) Successorem nactus virum celebrem Martinum Gerstman-
num J. U. D. qui varios suæ Eruditionis Testes Libros reli-
quit, cuique ante confirmatam à P. R. Electionem Prefectu-
ra Silesiæ summa concredita est. (a) Post hunc Cathedram
Episcopalem conscendit Andreas à Jerin Svevus SS. Theol.
Doct.

*Cujus Dexteritas, mentis Vigilantia, Candor,
Eloquium, Pietas, rectoque modestia vultu,
Atque Fides sincera Viri nullo excidet ævo.*

(b) Ultimus denique ejus seculi Episcopus D. Paulus Al-
bertus Svevus natione per Jurgia quod exterus esset ad Episco-
palem pervenit honorem quem Eruditio singularis commisso ei
laudabiliter omnino Episcopatui præfuturum, jure pollicita
fuisset, nisi inopinata morte præventus ante obtentam à R. P.
Confirmationem vitam finiisset (c)

(W) *Cur. P. 2. p. 161. Schikf. l. 3. p. 27. conf. Erasmi Epist. l. 5. p. 237. l. 15.
p. 473. l. 6. p. 261. ed. Froben. (x) Cur. p. 161. Schikf. p. 27. Poblus
p. 319. Svevus in Mnemos. Leor. (y) Cur. p. 30. 160. (z) Freherus
Theatri Vir. Jll. P. 2. p. 896. Schikf. p. 29. (a) Hen. Siles. c. 6. p. 91.
(b) Calagius passim Schickf. l. 3. p. 29. (c) Schikf. p. 30.*

292/1596

§. 7.

Inter hujus Seculi Episcopos Uratislavienses Nomen Eruditorum meruerunt Johannes Vitus à Sitsch omnes superans Nobilitate suos animo & Virtute priores (d); Carolus Austriae Archidux (e) & demum Sebastianus Rostocki (f) ignobili ortus domo Eruditione tamen insignis. Horum Nomina non ut Episcoporum sed Literatorum Nobilium recensere volumus ne praetermissi à nobis aut nesciri aut promerita defraudari fama videri queant.

(d) Schikf. l. 3. p. 31. (e) Schikf. p. 31. f. (f) Mühlpf. Poem. Miscell. Lat. p. 75. f.

§. 8.

Episcopos Uratislavienses excipiant Episcopi duo, qui sepositis Ecclesiasticis Dignitatibus Vitam Uratislaviae privatam agere maluerunt, quam curis quas Episcopis crebriores occurrere senserant, diutius premi. Alter horum est Johannes Vitelius Episcopus Varadiensis & Olomucensis (nec non secundum Petrum de Revva (g) aliquando Sirmiensis) Amicus Matthiae Hungarorum Regis & in gravioribus negotiis sapissime Legatus, Ingenio & industria ad illud honoris Culmen evectus, qui A. O. R. M. CCCC. XCII. Uratislaviae habitum & Regulam Fratrum Minorum ordinis S. Francisci de observantia aliud nomen à Reformatore Bernardino Senensi adeptorum assumpsit. (h) Alter propter Eruditionem suam toti Orbi innotuit Andreas Dudithius ab Horehovvizza Episcopus Quinvecclesiensis & Caesareus ad Henricum Valesium Polonorum Regem Legatus, habitis in Concilio Tridentino quibusdam Orationibus nomen non exiguum adeptus, qui relicto Episcopatu reliquum vitae Uratislaviae privatus egit, multis eruditionis famam suaque merita Fluctuatione in Religione non leviter obfuscativus. (i.)

(g) De

822/1597

(g) de Monarchia & Corona Regni Hung. p. 46. in notis lit. K. (h) Confunditur cum Job. Pannonio Episcopo Quinqueecclesiensi à Curæo P. 1. Chron. p. 241. ntante Hen. Bresl. p. 16. Laudatur à Curæo l. c. ut & P. 2. 124. Bonfin. subf. Dec. 4. l. 10. Nasone Phœn. rediv. Duc. Schidn. & Javor. p. 128. Pobjio Hem. p. 217. Schikf. l. 1. c. 38. p. 169. & c. Judicium de eo paulo iniquius ferente Petro de Revva l. c. p. 55. Notari hic mereri videntur diverse Autorum quorundam Sententia, inter quos de Revva eam in Moravia Monachum induisse, Naso l. c. Favoravii id præstitisse plurimi autem certiori omnino fundamento innixi Utravisiavia id factum statuunt. (i) Laudatur à Thuna l. 96. f. f. Frehero P. 2. Th. p. 913. Quirino. Reutero præf. Orat. Dudithii Offenbaci 1610. 4. editis præfixa & ex his Lansio Cons. pro Hung. p. 461. & c. de Secessu cujus mentio in Textu facta ipsi gratulatus est Job. Michael Brutus celebris Cæsar. Orator Epistola ad Utravisiavia laudes non parum faciente cujus fragm. quoddam invenire licet in Schikf. Chron. l. 4. c. 8. p. 52. Hen. Bresl. c. ult. p. 78. Hermanni spongia abstersoria contra Calumnias Bzoianas. De religione ejus conferri merentur Petri Carolini Epistola ad Dudithium quæ inter Epistolas singulares Clarorum Virorum à Colomesio Clement. ad Corinthios Epistolis Londini 1687. in 8. editis annexas n. 27. p. 274. habetur Boxhornii Hist. Univ. p. 1143. & paulo iniquius Judicium ferens Geverhartus Elmenhorstius præf. ad G. Stampelium. Procli Opusculis à se Lugd. 1617 editis præmissa & c.

§. 9.

Subjungeremus his Prælatos & Abbates singulari eruditione sua nomen celebre promeritos, eorum tamen Notitiam uberiolem nobis habere non licuit, cum & ipse Henelius de Monachorum invidia conqueratur, quæ, quo minus Abbatum omnium felici successu Catalogum neceret, prohibitus fuit. Nondum tamen recensionem Nobilium Utravisiaviensium Litteratorum Ordinis Ecclesiastici penitus finiemus, jam memoratis potius quosdam adhuc superaddituri. Prodeat ergo Johannes Hencejus à Blankenburg Ordinis Equestris & militaris

B 3

S. Crucis

1598
S. Crucis cum Rubea stella per Poloniam & Silesiam Supremus quondam Magister Scriptoribus ejus temporis ob singularem Litterarum Literatorumque Amorem notissimus. (k) Magni quoque nominis suo tempore viri existere Georgius Sauromannus Ecclesiarum Uratisl. ad S. Johannis Præpositus & ad S. Crucis Decanus Imperatoris Caroli V. Orator; (l) Stephanus Heugel à Polokovviz P. R. Cubicularius & Canonicus Uratisl. impetrata singulari dispensatione relicto cœlibatu ductaque Conjuge Pater Andreae inferius laudandi factus; (m) & Maternus Gniefen à Robach Decanus Pragensis in Wischerad Rudolphi II. Cappellanus Aulicus & apud Uratislavienses Canonicus. (n) Laudem vero raræ Eruditionis apud exteros quoque meruit Georgius Logus Eqves à Staupitio LL. Imp. D. C. P. C. & Conf. Maximiliani II. Imp. quondam Præceptor post Ecclesiæ Uratisl. Cathedralis Canonicus & S. Crucis Præpositus Nobilitatis Silesiacæ Ornamenti Titulo à variis insignitus, cujus carmina [teste Philippo Melanchthone] summi Viri in Italia laudarunt. (o) Nec laude sua defraudandi Dominicus & Petrus Prockendorffii f. ut Schneiderus (p) legit à Brockottendorff quorum ille LL. D. hic J. U. D. & A. O. R. 1532 Rector almæ Lipsiensis Academia, uterque autem Canonicus Uratislav. existit. (q) His demum accedat Daniel Bucretius à **Kindfleisch** qui cum insigni in arte Medica & Anatomicis imprimis peritia ad Exemplum Patris infra laudandi propius accessisset, Parisiis demum Monachum Dominicanum induit (r)

- (k) *Conr. Prof. Mel. Mill. p. 2. 91. Cal. passim Bxlovius Anagr. Dec. 2. n. 4. 6.*
(l) *meminit eis ex Hen. Sil. Tog. Hank. Orat. 13. p. 258. Conr. Mill. l. p. 154.* (m) *Schikf. l. 4. c. 16. p. 119.* (n) *Naso Phæn. rediv. p. 147.*
(o) *Phil. Mel. ad Henr. Lign. Ducem cit. Hen. Sil. p. 53 Conr. Mill. l. p. 99. Poblus Hemer. p. 136. Hen. Bresl. p. 7.* (p) *Chron. Lipsiæ l. 6. p. 319.* (q) *Conr. Mill. 2. p. 152.* (r) *Memoria Sachsiæ J. D. Majoris inserta Anno 4, Dec, 1, Ephem. Nat. Cur. c. 14. p. 22.*

1599

§. 10.

Ex Ordine Politico duos primum producemus Barones
 Wilhelmum à Kurzbach L. B. in Trachenberg & Miliz Camerae
 Caesareae Praesidem, (s) & Carolum L. B. à Zierotina S. C. M.
 Consiliarium & quondam Moraviae Promarchionem; (t) no-
 tandos omnino, cum illius Prudentiae & Modestiae universus Si-
 lesiae Ducatus, hujus autem Liberalitati Uratislavienses Literati
 multum debeant. Imprimis posterioris memoriam Budorgis
 grata mente adhuc recolit, quod Hospitium quo tempore ali-
 quo apud Uratislavienses durante bello toti Germaniae fune-
 rissimo usus fuerat, dono splendidissimo compensaverit. Insi-
 gnis nempe Librorum Apparatus privatis ejus usibus destina-
 tus Publicis in posterum ut inserviret voluit, & ut ille cum aliis
 Libris in Bibliotheca Templo Mariae Magdalena nomen praefer-
 renti adhaerente adservaretur Testamento cavuit. Ejus ergo
 ex Sorore Benigna Nepos Carolus L. B. de Wirbna Princeps Ju-
 ventutis ceu illustre ingenium brevioris aevi moriens Reipubl.
 Uratislaviensi quod ille destinaverat denuo legavit, unde fa-
 ctum ut Wenceslaus de Wirbna S. R. J. Comes Imperatorum
 Matthiae Ferdinandorum II. & III. intimus Consiliarius Caroli
 ex asse haeres per fidum ministrum Georgium Matthaei à Kal-
 tenbrunn Mense Februario 1641. Libros traderet Agnati Ulti-
 mae Voluntati satisfactorius.

(s) *Curæus P. 2. p. 164. Pohlus Hemer. p. 64* (t) *Colerus Orat. Inaug. ha-
 bita cumea Bibl. aperiretur.*

§. 11

Jam ad eos Pedem promovebimus sub quorum regi-
 mine optata quiete Uratislavia usa est Capitaneos scilicet ac Prae-
 fides literatos exhibitori. Notamus autem Uratislaviam ante-
 quam A. C. M. DC. XXXVI. Capitaneatum quo intotum Duca-
 tum Uratislaviensem gaudedat cum Directorio Castris Nams-
 laviensis permutaret Capitaneos suos habuisse Urbi Ducatuiq;
 Praefe-

us
m
ni
n-
u-
u-
n-
n-
us
hi
is.
uit
ns.
isl.
le-
ste
(o)
ffii
L.
ia,
um
rte
in-
um
4.6.
ll. 1.
147.
ll. 1.
6. p.
ioris
10.



Præfectos, quorum successores Præsidum & Directorum Castrî Namslaviensis Titulo insigniti fuerunt. (u) Ex utraque Classe producendi erunt rara Eruditione eminentes Nobiles, ex priori autem pauci, non propter Eruditorum Penuriam qui Budorgis salutem invigilarunt, sed propter nostram leviolem in hoc Historiarum genere notitiam.

(u) *Cur. Sil. annot. ad Vichtensterns Schlesische Fürsten-Crone. p. 73. conf. Zeilleri Topographia Silesiæ T. 2. Itinerarii Germaniæ p. 302.*

§. 12.

Literati ergo Nobiles qui è Capitaneorum numero nobis innotuerunt sunt sequentes: Joh. Haunoldus, Consilii de instituenda Uratislaviæ superiori seculo Academia, quod eo moriente quoque agitari desiit, Autor & Fautor; (vv) Joh: Mezlerus, Vir Græcarum Literarum peritissimus, qui nec eas publice in Gymnasio Elisabethano docere dubitavit Orbi Erudito idcirco notissimus; (x) Antonius Banke, ob suam eruditionem Virtutemque Cæsari Charissimus; (y) & Nicolaus Rhediger, qui non tam domi inter suos quam etiam foris cum propriæ Virtutis Gloria tum suorum Fratrum Germanorum Mutuatio famæ Lumine apud Italos, Belgas, Gallos latè inclaruit. (z)

(vv) *Curæus P. 1. p. 267. Schikf. l. 1. p. 176. f. l. 4. c. 8. p. 155. Pohlig Hemer. p. 109. (x) Freherus P. 2. Theatri p. 817. Conr. Prof. Mel. Mill. 1. p. 111. Hankius Orat. p. 209. (y) Conr. Mill. 1. p. 11. (z) Hen. Sil. p. 74. f. Conr. Mill. 1. p. 144. Hofmannin Lusibus Javen. & c.*

§. 13.

Septem post hæc Præsidibus Uratislavia paruit qui omnes & Nobilium & Literatorum Catalogo inferi merentur. Inter eos primus Stanislaus Aichheuserus à Leonhartvvitz A. C. 1643. vita functus est magno cum luctu Doctorum, quos ipse omnigena Doctrina excultus coluit. (a) Hujus successor Theodoricus Garzius rara Juris Divini & Humani Scientia cum pari Prudentia Civili

Civili & moderatione præditus fuit. (b) Tertius, Ernestus Pfoertnerus nomine, præter multiplicem Scientiam summa rerum Experientia multis Itineribus, quibus ipsum quoque Orientem penetravit, comparata, inclaruit. (c) Jungendi his sunt Samuel Sebifius, (d) & Joh: à Gøtz & Schvvanenflies, (e) quorum uterque Literas Literatosque continuo favore profecutus est. Nefas esset præterire Virum toto Orbe celeberrimum & Poësi (quam Vernacula omnium felicissimus exercuit) æternum nomen promeritum, Christianum ab Hofmansvvaldau cujus mortem deplorans Joh: Hartvvigus à Nostiz supremus eo tempore Bohemorum Cancellarius notanter affirmat: *ei parem optare successorem, esse optare Virum, qui Rempubl. & juvet & ornet:* Successorem tamen habuit Virum multiplici Eruitione & Virtute Ornatisimum, cujus præmaturum obitum hodiernum deflet Budorgis, Ferdinandum à Mudrach, Urbis plus quam triginta annos & Lumen & Columen, in tanto à Cæsare Augustissimo habitus pretio, ut vice duplici Imagine Imperatoria & Torque aureo transmisis honoraretur. (g) Horum ergo omnium ut merita adhuc Civium Cordibus inscripta hærent: ita nec Laus Eruditione parta dissimulari debebat.

(a) Colerus l.c. Hankius in Dramate Msf. de Utratislavia sub Præsibus suis felice. (b) Colerus Hankius l.c. (c) Hankius l.c. (d) Hankius l.c. Schæbel in Germ: Utratisl. decore. (e) Hankius Schæbell.c. Mühlport passim imprimis p.290. ff. (f) Witte Diar. Biogr. & alii complures (g) Hankius Schæbel. l.c.

§ 13.

Ex illustri Senatorum Ordine erudita Nobilitate dari nobis innotuerunt, qui seculo nostrum præcedente floruerunt, Johannes Morenberger primus Scholarum Præsides, (h) Johannes Haunoldus, (i) & Christophorus à Poley. (k) Major numerus eorum est, quos præsentis Seculo claruisse scimus. Sunt autem Caspar Arzat (l) Vir Majorem in modum de Silesia me-

C ritus;

stri
as-
ori-
Bu-
uoc
73.
2.
bis
sti-
ori-
de-
ice
cir-
ir-
qui
tu-
næ
ner.
p.
74.
nes
ter
43.
ge-
cus
tia
vili



ritus; Vitus Rœtel à Wonevvitz, (m) Pauperum Asylum, Eruditorum Erudiendorumque Portus, Humanitatis Præsidium; Henricus à Reichel, (n) Fortitudine & Eruditione laudem promeritus, quem impia Sicarii manus A. C. M. DC. XLVI. d. 12. Julii in via publica occidit; Adam Caspar ab Arzat, (o) quem propter raram Experienciâ fultam prudentiam in rebus Civilibus Patri suo munere sponte se abdicanti Patres conscripti Successorem dederunt; Henricus Marcus à Pein (p) inveniendis Consiliis natus; Adamus Wenceslaus à Reichel (q) Juris peritissimus & ad exequenda quæ excogitaverat Consilia aptissimus; Augustinus Henricus à Kromayer (r) Eruditione & prudentia maxima, quam tam studiis feliciter excultis, quam Itineribus per universam fere Europam, sibi comparaverat, quondam commendabilis; Sigismundus à Fürst & Kupferberg (s) Gentis suæ Gloriam meritorum suorum copia adaugens; Georgius Fridericus ab Arzat (t) Juris & Historiarum gnarissimus; Johannes Burkhardus à Levvenberg, (u) & nuperrime defunctus Zacharias à Rampusch propter raram Eruditionem, insignemque, in Rebus Civilibus peritiam celebrandus, qui etiam post mortem de Uratislavia optime meriturus Libros, quos ingenti copia, maximo tamen selectu habito, collegerat, Bibliothecæ Templo Bernhardino in Neapoli adjungi jusfit.

(h) *Curaeus P. 2. p. 165. Conr. Mill. 1. p. 115.* (i) *Conr. Mill. 2. p. 87. Cal. l. 7.*
 (k) *Conr. Mill. 1. p. 135.* (l) *Conr. Mill. 1. p. 9. Cal. l. 9. Hankius Orat. 7. p. 136.* (m) *Hankius in Ur. f. Pr. Reg. fel. Tscherning. Sched. & Poëm.* (n) *Scholtzius Parent. P. 3. Parent. Siles. à Felgibelio editarum 1665. n. 39. & Hoffmansvv. Carm. Fun. p. 16* (o) *Hankius Orat. 7. p. 147. Mühlpsfort. Poëm. p. 317. Lobenstein Syac. p. 51.* (p) *Hankius p. 235. f. Schæbell. l. c.* (q) *Hankius p. 236. Schæbel. l. 2. Mühlpsf. p. 68.* (r) *Hankius Orat. 15. Schæbel. l. c.* (s) *Schæbel. l. c.* (t) *Hankius Orat. 17. Schæbel. l. c. Mühlpsf. p. 11. Ep. Lico-kenst. Syac p. 9.* (u) *Schoebel, l. c.*

§. Histo-

5001 1603

§. 15. His Consiliarios Cæsarum Principumque subjungemus, quos & Nobiles & Eruditos aut genuit, aut alius, aut habuit, Uratislavia. Inter eos suo tempore præcipue claruit Georgius à Wenzky (vv) Ducibus Bregensi & Lignicensi ut & Episcopo Uratislaviensi à Consiliis, Vir Juris peritissimus, qui publicato Equestri Silesiorum Jure Orbi Literato innotuit. Alter quem nominabimus est Johannes Rhediger (x) Consiliarius Cæsareus, cui jungemus Jacobum Monavium cum uterque non minus sua quam fraterna quoque Eruditione summa & Virtute laudis adeptus fuerit. Quantum imprimis posterior suo tempore Uratislaviæ Sidus extiterit, & quot quantisque ejus ævi Luminibus propter summam utriusque Linguae Philologiae omnisque plane Eruditionis penum Familiaris fuerit, partim, quæ ad nos justorum sui Temporis Luminum Admiratorum pervenere judicia, ostendunt, (y) partim Carmina in ejus Symbolum elaborata & conjunctim edita demonstrant. (z) Nec Silentii peplo involvendi sunt, Nicolaus Haunoldus Consiliarius Cæsareus & Camerae Viennensis Secretarius; (a) Andreas Heugel à Polokovvitz. J. U. D. S. C. M. ut & Ducum Olsnensis, Bregensis, Monsterbergensis & Teschinensis Consiliarius nec non Episcopi Uratislaviensis Cancellarius, (b) & Johannes Wacker à Wackenfels Imperialis Consilii in aula Cæsarea Consiliarius & Vrat. Episcopi Cancellarius, (c) cujus Poëmata à multis maximi habitata fuerunt. Superaddimus Trigam Virorum Literatis notissimorum, Matthæum Apellem à Leuenstern singulare dum viveret Uratislaviæ ornamentum S. C. M. & Ducis Monsterbergensis Consiliarium, qui Poësi Germanica non infeliciter exculta inclaruit; (d) Johannem ab Hofmansvaldau Camerae Cæsareæ Consiliarium, Eloquentia quidem magnum Nomen apud Eruditos, majus tamen, quod filium genuisset se & erudi-



tione & Felicitate majorem, promeritum; (e) & demum Samuel Butschky de Rutenfeld Consiliarium Cæsareum & Ducatus Uratislaviensis Seniore Provinciale, qui variis Scriptis in Lucem publicam emisit sibi Famam non Exiguam comparavit. (f)

(vv) Schikf. præf. prodiit citatus Liber Lipsiæ 1615. 4. (x) Colerus l. c.

(y) Freherus P. 2. Tb. p. 964. Witte D. B. Conr. Mill. 1. p. 88. Poblus

Hem. p. 378. Zeilerus Itin. Germ. p. 500. & c. (z) prodiit ejus Sym-

bolum Gorlicii 1595. 8. (a) Cal. l. 8. (b) Conr. Mill. 2. p. 94. Schikf.

l. 4. c. 16. p. 118. f. Cal. l. 9. Poblus p. 398. (c) Conr. Mill. 1. p. 195.

(d) Tscherning p. 285. Neumeister de Poëtis Germ. Witte D. B.

Mühlpf. Epic: p. 175. (e) Witte D. B.

§. 16.

Nec Magnifico Syndicorum Ordini defuerunt Consiliarii munere apud Imperatorem aliosque Principes cum laude gesto non minus quam Erudita Nobilitate insignes, ex quorum numero in præsentis sequentes proferre libet. Prædeat ergo Nicolaus Henelius ab Hennenfeld (f) J. U. D. S. C. M. Consiliarius nec non Ducatus Monsterbergensis & Territorii Francofteinensis Pro-Cancellarius & demum apud Uratislavienses Syndicus; Hujus certe nomen non solum propter Scripta quædam Juridica quibus Orbi Literato profuit, sed & quod Patriæ Historiam Conterraneorumque de ea optime meritorum famam ab oblivione vindicare voluerit, hodiernum magnum est; quamvis multa ab eo collecta privato tantum quorundam Doctorum usui inserviant & non nisi Manuscripta paucorum manibus terantur. (g) Nec tacendus nobis est Altitonans ille Silesiæ Pericles & vere Confus Johannes à Pein (h) J. U. D. Serenissimi prius Saxonum Electoris postea Cæsaris quoque Invictissimi Consiliarius Ducatus Uratislaviensis Cancellarius Reipubl. Syndicus tam ob insignem Juris peritiam raramque Eloquentiam quam ob infinitam meritorum copiam notissimus. Suo quoque

que Tempore propter Eruditionem summam non mediocrem
 Famam consecutus est, Reinhardus Rosa à Rosenigk (i) J. U. D.
 C. P. & Conf. Cæs. nec non Lignicensium Ducum, Reipubl.
 Urat. Syndicus. Huic adjungimus Petrum à Mogkendorff &
 Somienburg (k) S. R. J. Equitem S. C. M. Conf. C. P. ac Ura-
 tisl. Syndicum Virum ut summæ quondam Autoritatis & pluri-
 morum Meritorum ita & nunquam intermorituri Nominis. Et
 cui tandem ignotum esse potest celebratissimum quondam Si-
 dus Daniel Caspar à Lohenstein (l) S. C. M. Conf. & Synd. Ura-
 tisl.? Hunc enim relicta, Eruditionis potius incomparabilis,
 an nunquam defatigatæ Industriæ dixeris jure, ambigo, sane
 utriusque monumenta eum plerisque ligata scribentem Ora-
 tione dubiam reddere, soluta omnibus præripere palmam,
 abunde testantur.

(f) Labbe in Bib. Bibl. Witte Append. D. B. Rhonius Epist. 1. Hist. Han-
 kius Orat 8. p. 157. (g) Rhonius l. c. Hankius l. c. (h) Colerus Orat.
 alleg Hankius in Urat. s. Præf. reg. fel. Hofm. Carm. sum. p. 16. (i)
 Tscherning Poem. p. 162. Contr. Mill. 1. p. 164. (k) Schoebel l. c. (l)
 Witte D. B. & alii complures.

§. 17.

Nefas esset omittere Heroës qui Minervæ se cultores &
 Armorum & Librorum Amore testati sunt quorum duorum
 tantum mentionem injiciemus. Prior erit Gregorius Haunol-
 dus Militum S. P. Q. Uratislav. Præfectus primarius ob singula-
 rem multarum Lingvarum Notitiam laudandus. (m) Huic jun-
 gimus alterum Literatum Uratislaviæ Heroëm Albertum Sebi-
 fium (n) cujus nomen ante paucos adhuc annos permultos in-
 venit Cultores æstimatoresque. Erat nempe Vir multiplici Li-
 brorum Læctione ad vitæ (quam coelebs usque 1688. 14. Nov.
 octuagenario Major produxit) finem continuata Rerum Ma-
 thematicarum Historiarum & Politicarum insigni peritia Lin-
 gvarum variarum Cognitione Latini Eloqvii puritate antiquis



comparanda, elegantissimo manus in scribendo & pingendo artificio aliisque multis Ingenii Corporisque dotibus excellens. Hic non contentus obtenta Eruditione Gloria majus nomen summa Beneficentia meriturus, non modo libris Theologicis omnisque generis rarioribus pretiosioribusque, sed & raris Codicum Manuscriptorum, Figurarum in æs incisarum & Conchyliorum Cimeliis Bibliothecam Rhedigerianam insignem in modum auxit, eo majori spe certiorique æternaturi Nominis, quo magis utilitati, quam soli Decorì Uratislaviensibus esse maluit.

(m) *Calag. l. 8. Mühlpf. Mantissa p. 9.*

§. 18.

Ex reliquis, qui Syndicorum munus in Republ. Urat. obierunt, & propter Eruditam Nobilitatem nobis innotuerunt, duo adhuc memorandi videntur. Meruit certe insignem suo tempore Famam Franciscus Faber à Cokritz (o) Poëta celeberrimus, qui præter alia Lygios quoque Carmine primus descripsit patriæ motus amore. Nec minoris dum viveret Nominis erat Andreas ab Assig & Siegersdorff (p) Cujus merita, cum adhuc Cordibus Civium plurimorum inscripta sint, proluxa celebratione indigere vix putamus.

(o) *Curæus P. 2 p. 165. Rhonius Epist. 3. Contr. Mill. 1. p. 51. Poblus Hem. p. 356. Grunæus in periculis Monum. Sil. (p.) Mühlpf. Epic. p. 247. Lobenst. Syrac p. 18 f. Schoebel l. c. Hankius Poëm.*

§. 19.

Inter Medicos Nobiles præterito Seculo maxime floruit Johannes Crato à Craßheim (q) trium Imperatorum Archiater C. P. & Conf. Cæs. à Maximiliano II. gloriosæ memoriæ tanti habitus, ut in ejus honorem raro certe, etsi non plane Parallelis carente exemplo, nummum cudi jusserit. Nominandus
dehinc

800/1007

dehinc erit Petrus Monavius (r) Jacobo (cujus §. 15. mentio facta) Patri, Dignitate (Imperatori enim Rudolpho à Consiliis Valetudinis summa cum laude fuit) & Eruditionis fama æquiparandus. Nec prætereundus Daniel Bucretius à Rindfleisch (f) Physicus Urastisl. Medicus, Philosophus & Philologus summus Caroli Ducis Austriae Episcopi Urastisl. Archiater in cujus Symbolum pro more illius æui facta à Viris Doctissimis Carmina habemus Abrahamum Sandekium Principis Olsnensis Archiatrum & celebrem apud Uratislavienses Practicum (t) propter singularem in Arte Medica peritiam Scriptores ejus temporis laudant. Laurentius quoque Scholtzius à Rosenau (u) Physicus Erutione rara, Editione Consiliorum Cratonianorum & horti cultura admirabili nomen sibi celebre peperit. Liceat horum Encomiis jungere mentionem Johannis Jessenii à Jessen Collegii Carolini Pragæ Rectoris (vv) Archiatri Academiae Pro-Cancellarii & Legati Scriptis variis inclyti, qui post cladem Bohemis illatam, recuperatam que, à Ferdinando II. Pragæ, quod Consiliis Ferdinando oppositis se immiscuisset, imo plurimorum Author fuisse crederetur, manu Carnificis securi percussus perit. Laudandus tandem propter Eruditionem singularem & plurima in rem Literariam merita venit Philippus Jacobus Sachse à Leuenheim Physicus S. R. J. Academiae Naturæ Curiosorum Adjunctus; huic enim celeberrima isthac Academia acceptum refert, quod Uratislavia alere coeperit junctos, illius nomen Scriptis in urbe Patria collectis & editis dilatantes & ad seram usque Posteritatem transmittentes (vv)

(q) *Thuamus l. 82. Boisfardus Icon. P. 3. p. 125. Freberus Th. P. 3. p. 1284. Conr. Mill. 1. p. 37. Qvenst. d. P. V. J. p. 189. J. D. Major Mem. Sachs. c. 16. p. 25. Promisit J. Fr. Hekelius Monumentum summae gratiae & singularis Gratitude in Explicatione Nummi 1554. cusi an publicam viderit Lucem dubitamus. (r) Freberus P. 3. p. 1288, Conr. M. 1. p. 114. & c.*

do
is.
en
cis
o-
n-
em
o-
si-
is
bi-
at,
uo
er-
ri-
nis
d-
le-
em.
47.
uit
ia-
ria
Pa-
lus
inc



114. Sc. (f) Hankius Orat. p. 137. Mem. Sachf. c. 2. p. 4. c. 16. p. 26.
 Sc. (t) Freh. P. 3. p. 1410. Hankius in Paneg. Vollgnad. Wedelius de
 progressu Acad. N. C. Mühlpf. p. 71. J. D. Major in Memoria
 Sachfiana annexa 3. Dec. 1. Ephem. Nat. Cur.

§. 20.

En nunc Patricios qui privatam egere vitam. Inter eos
 velut inter Ignes Luna minores emicat Thomas Rhedigerus (y)
 versatissimus Silesiorum Ulysses Mecœnas hominum Erudito-
 rum Munificentissimus Vatum hospes & vere Nobilis, sua Libe-
 ralitate, cui Bibliotheca Rhedigeriana in Templo Uratislavien-
 sium Elisabethano reposita & Nomen & originem debet, no-
 men immortale meritis. Hunc excipiant Christophorus ab
 ab Oelhafen, (z) Servatius Reichel, (a) Johannes ab Hess &
 Stein. (b) Maximilianus ab Hess. & Stein. (c) Esaias, (d) Stepha-
 nus, (e) Laurentius, (f) & Tobias. (g) Jesfensky de magna Jef-
 sen, Petrus, (h) & David, (i) Haunoldi, Daniel à Tarnau, (k) &
 Jacobus Arzat, (l) quorum recenserelaudes Eruditione partas
 & prolixium & Supervacaneum foret.

(y) *Conr. Mill. 1. p. 144. Poblus Hem. ad 5. Jan. Leonclajus præf.
 ad Job: Sambucum editioni Zofymi Procopii & Agathie præfi-
 xa, Henel. Bresl. p. 13. (z) Conr. M. 1. p. 122. (a) Conr. M. 1. p. 141.
 (b) Conr. M. 1. p. 103. Cal. l. 8. 9. (c) Conr. M. 1. p. 1. 81. (d)
 Conr. M. 2. p. 193. Cal. l. 8. 9. (e) Cal. l. 8. (f) Cal. l. c. (g) Cal. l. c.
 (h) Conr. M. 1. p. 88. Cal. l. 7. (i) Cal. l. 9. (k) Tscherning. Sched.
 (l) Cal. l. 3.*

§. 21.

Agmen denique claudant Nobiles Uratislavienses quorum
 Eruditio & industria Juventuti Scholasticæ profuit, quorum duos
 in medium proferemus. Salomon Frencelius à Fridenthal
 (m) inter eos priorem locum mereri videtur, qui suo tem-
 pore Poëmatibus plurimis maxime inclaruit & P. L. C. Ethi-
 cesque P. P. Helmestadii exstitit, cui muneri summa cum laude
 eiusque

210/1009

ejusque præfuit, donec Rigam ad suscipiendum Scholæ Directorium vocaretur. Ingens quoque sui desiderium moriens A. C. M. DC. XVIII. apud Uratislavienses reliquit Johannes ab Hœkelshofen Gymnasii Mariæ Magdalenæo Templo adjacentis Moderator longe celeberrimus. Hic quantum Corpori splendoris & Elegantiæ deerat Animi dotibus præstantiaque compensans, tanta cum felicitate docuit, ut capiendis Auditoribus locus destinatus non sufficeret, & splendori suo, quo hodie (utinam ad Seculorum finem usque) superbit, magis magisque accessurum Gymnasium amplius Auditorium sibi deposceret. (n) Variis uterque scriptis memoriam sui fecere immortalem, quæ, cum alibi recensita inveniantur, hic referre non juvat.

(m) *Witte D. B. Conr. M. 1. p. 59.* (u) *Witte D. B. Conr. Mill. 1. p. 83.*
Hankius Orat. p. 136.

§. 22.

Et hos pauci, quos nec Exemplarium Raritas, nec ingens pretium, nec possidentium Livor nobis invidit, Libri suppeditaverunt, non penitus manum de Tabula retracturis, sed impotenter forsitan & Judicio firmatori & Librorum plurium adjutorio plures ab oblivione vindicaturis. Quos hodiernum ut decus Columnenque suum veneratur inclyta Budorgis aliorum Industriæ celebrandos relinquimus, inventuros omnino complures qui Patriæ felicitatem non tacita modo Admiratione suspiciant, sed & grato Authorum Sortis adeo benignæ Præconio aliis notam reddant. Prævidemus facile tantum Eruditionis Florem, quo Generosa Uratislaviensium Nobilitas non minus ac aviti Generis Splendore Meritorumque suorum Gloria nitet, perpetuum constantemque futurum, cum tot Patronis fultus, tot Exemplis provocatus, studiorum Amor crescat indies, majoraque Incrementa capiat. Certe, si unquam communis

D

Pro-

1090.
Proverbii, quo ad Regis Exemplum totum subditorum Orbem componi prudenter affirmatur, veritas manifeste patuit: hoc ipso tempore patuisse, iustissime dixeris. Silesiam, & in ea Uratislaviam, aspice, miraturus, quam sollicite summum Augustissimi Imperatoris erga Literas Literatosque Amorem exprimere studeant. Invictissimo proinde Cæsari nunquam interruptos de Christiani Nominis Imperiique Hostibus Triumphos, Patriæ nostræ felicitati perennem Constantiam, Patribus Patriam Eruditione sua & ornantibus & juvantibus faustæ Sortis perennitatem, Eruditioni ejusque Cultoribus universis florem immarcescibilem, concedat Divina benignitas; quo Sanctissimi ejus Nominis Gloria ad Consummationem usque seculi dilatetur, utilitasque Reipubl., quæ Eruditioni multa debet, augeatur indies, &, quo nomine jam antea superbiit, eo ad finem usque mundi gaudeat Uratislavia, maneatque: *Gubernatorum Terra Seminarium, atque Doctrinæ, Disciplina, Exercitiorum Pietatis omnisque Honestatis Domicilium, Fons Literarum & totius Doctrinæ Augustus in Germaniam Scaturiens & in totam Viciniam abundans.* (o)

(o) Bald. Dedic. Comm. in Ep. ad Rom.

Corollaria.

I.

Recte Cicero: *Omnes Boni semper Nobilitati favemus, &, quia utile est Reipubl. nobiles esse homines dignos Majoribus suis, & quia valere debet apud nos Clarorum hominum senex de Republ. meritorum Memoria etiam mortuorum.*

2. Is

2.

*Istamen qui solum jaëtat Genus suum, aliena laudat; unde
& Boëthio Nobilitas se ad Claritudinem referatur videtur esse
aliena & quadam de meritis veniens Laus Parentum. l. 3. de Cons.
Phil. Prosa 6.*

3.

*Prudentissime ergo Scipio major Africanus magni estimabat,
si nobili Stemmata Literarum lumen quoque accessisset teste Val.
Max. l. 8. c. 14.*

4.

*Et Tiraquellus c. 4. de Nobil. doctissime asserit quod
Nobilitas hominis mens sit Deitatis imago*

Virtutum clara propago

Humilem relevare jacentem

Nisi turpia nulla vereri

Natura Jura tenere.

5.

*Non ergo minus Nobiles nobili & antiqua Prosapia progna-
tis sunt illi, qui Fortitudine Eruditione multisque in Rempubl. me-
ritis sibi suisque ad Nobilitatis honorem viam straverunt.*

6.

*Optime certe Boëthius l. 3. de Cons. Phil. Prosa 6. Quod si
quid est in Nobilitate bonum, id solum esse arbitror ut imposita No-
bilibus necessitudo videatur ne à Majorum Virtute degenerent.*

7.

*Nobilitas Silsiaca (teste Petro Bertio apud Henelium Sil. p.
74.) animis erectis & invictis manu prompta Consilio provida ante
discrimen tranquilla in periculis audens & concitata. Proinde
Hungariae quod reliquum est debet magna parte huic Nobilitati Or-
bis Christianus merito acceptum referre.*

Der

AK Ta 676

Du hast/geehrter Freund/mit Ehrendargeleget /
Dein Br. Blau bleibe doch des Glückes liebste Kind
Weil es in seinem Schoß viel solche Häupter heget
Die am Gemüth und Blut/und doppelt edel sind.
Doch wo die Wissenschaft auch an sich selber adelt/
So schreib ich dich mit Recht den Edlen Geistern bey /
Und sage nur zu dem der meinen Ausspruch tadelt/
Daß ja dein Adels-Brieff in diesen Blättern sey.

Ausschuldiger Freundschaft setze dieses glückwünschend hinzu

Johann Siegmund Suschky /
von Trachenberg aus Schlesien.

Quam docte reliq vis Patriæ monstratis Honorem,
Quem Studiis illi Nobilitas peperit,
Vos manet inde pii Merces præclara Laboris,
Quem quondam vobis Patria reddet, Honos.

*Ita laudabilibus DNN. Disputantium Conatibus
applaudere volebat*

Bernhard Friedrich Glado Cüstrin.
NeoMarch, LL. Stud.

Define Fara Tui deflere, Silesia, Rhoni,
Pantkius ecce Tibi Rhonius alter erit.

*Boni Ominis ergo scr. & Patriæ & CL. Autori
animitus gratulatus*

Johann Christianus Kunckel,
Urat, S. S. Theol. Stud.

Haud latet obscurus Virtutis, tendit in altum,
Cultoresque suos laude Coronat, Amor.
Quod probat Exemplo Tua mens Virtute referta
Hinc studii Fructus Præmia justa feres.

Amicitia testanda ergo scr.

Godofredus Behue, Svedt. Marchicus
S.S. Theol. Studiosus,

S. D. G.



Fragment of text from the adjacent page, including words like "in.", "kel,", and "CUS".

ULB Halle
002 813 025 3






